



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Poemata Postvma Natalis Rondinini S.D.N. Alexandro VII. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

CKII.

Handwritten marginal notes on the left edge of the page, including "CKII.", "OE.", and various illegible scribbles.

POEMATA
 POSTVMA
 NATALIS
 RONDININI
 S. D. N.
 ALEXANDRO VII.
 PONT. OPT. MAX.
 AB EPISTOLIS AD PRINCIPES.

POEMATA
POSTVMA
IN ATALIS
RONDINI
S. D. N.
ALEXANDRO VII
PONT. OPT. MAX.
AB EPISTOLIS AD PRINCIPES

S

C



C

D

V

H

IN FVNVS
SIDRONII HOSSCHII
E SOCIETATE IESV.

Cùm tristem de eius obitu nuntium accepisset Assisij in Umbriâ, vbi cum fratre suo Paulo Æmilio Rondinino S. R. E. Cardinale, Assisij Episcopo, morabatur.



*D*um fecunda suis me detinet Umbria
campis,
Umbria siluosis ardua verticibus;

*Aurâq; vere nouo Zephyris impulsa serenis
Molliter argutis obstrepat in folijs;
Diffunditq; animum ruris conspecta voluptas,
Hei mihi, quos luctus nuntia fama tulit!
Ut nihil in terris liquidum est! ut Numina sæpè
Dulcibus admiscent rebus amaritiem!
Hosschiades, (quid nunc faciles in carmina Musæ,
Quæq; erat ingenio laurea parta iuuant?)*

Hosschiades, quo se tantum iactabat alumno
 Belgica Romanis emula nominibus,
 Quantum, quæ Latio Cyrenen prouocat ore,
 Umbria Callimacho facta superba suo;
 Ille decus vatum, leto præreptus iniquo est,
 Dum canit, & gratâ sidera voce tenet.
 Sic ubi sensit olor gelidæ succumbere morti
 Lumina, vitinas præcinit exequias.
 O nemora, ô dulces, quos hæc habet ora, recessus;
 Doctarum sedes hospita Pieridum,
 Vos eritis testes, ut mors hæc funditus omnes
 Surripiat nostro delicias animo.
 Nec me iam Verni capiat clementia cali,
 Nec varium terræ fertilis ingenium.
 Hic videas molli cliuōsos tramite colles;
 Difficiles illic ad iuga summa vias.
 Illic saxa inter fluuiō Clitumnus amæno
 Profilit: hic niueos integit umbra lacus:
 Clitumnus, quo non Cæleri, non alter Iaccho
 Gratiōr, & niueo, qui bibit inde, gregi.
 Oppida nunc miror crebris succrescere siluis,
 Et nemora antiquas inter opaca domos.
 Nunc miror positas altis in montibus arces,
 Quæq; in subiectâ mænia valle latent.

Hic

NATALIS RONDININI. 213

Hic gelida inuitat decedere solibus umbra,
 Quà crepitante leuis desilit unda pede:
 Hic, quæ rugoso seruent in cortice fagi,
 Ludere, quæq; canat dux gregis inter oues.
 Sed nihil ista iuuant: me tantùm flere sub antris,
 Et magnâ manes voce vocare iuuat,
 Siqua fides nostris tangi quoque fletibus umbras,
 Credibile est vatem, Cynthia, flessè tuum.
 Quiq; unâ tumulto teneri conduntur amores,
 Non ignes, solitas non habuisse faces.
 At tacitos iuxta cineres qui labitur annis,
 In mare turbatis mæstior ibat aquis.
 Et, quales olim cognati in funere vatis,
 Soluebat multis inferias lacrymis.
 Consuetæq; via, & læta inter gramina ripe
 Immemor, oblitum sæpè retorsit iter.
 Quis tibi, Mosa pater, mæsto sub gurgite sensus,
 Hæc propior nam te cura premebat, erat?
 Cùm rapidas tecum Vahalis confunderet undas,
 Confusas unâ miscuit & lacrymas.
 Heu pater infelix, qui dum volueris, amara
 Perpetui luctus in mare signa feres.
 Nec iam auro, & lætâ præcinctum tempora myrta
 Excipiet tectis Oceanus genitor,

*Sidroni interea, seu te noua gaudia calo,
 Seu te culta tenet vatibus ora sacris:
 Si te tangit honos, & adhuc sunt carmina cura,
 Nec toto cessit pectore noster amor:*

*Aspice, quem statuat tumultum tibi Roma, quod inde
 Iudicium de te posteritatis erit.*

*Non omnis moriere: tui pars maxima uiuet,
 Et cineri merces magna futura tuo est.*

*Mærenti Chisius dum te sub pectore condit,
 Non poterat tumulto nobiliore tegi.*

**F E R D I N A N D O
 F V R S T E N B E R G I O,**

*Musas Philomathis iuueniles auctiores
 cultioresque in lucem proferenti.*

T *Andem reuisunt aureum iubar solis
 Musæ Philomathis: gratulentur, & plaudant,
 Quæis & labores, & pericla, quæ terris
 Mariq; subeunt, aut seuera curarum
 Lyrâ subinde tibiaq; solari
 Incessit ardor. Quem sequantur, hîc cernunt.
 Hæc ille, seu dum præliantibus fertur
 Per alta ventis, quâ fretum Cyclopeis*

Feruens

Feruens cauernis astra verberat fluctu,
 Seseq; mox resorbet & suas iras:
 Sive arduis dum nubibus cinctas caput,
 Niuibusq; numquam non iacentibus canas
 Volat per Alpes: fessa namq; votorum
 Europa cursus vrget, atque opem poscit:
 Hæc ille, dum Mars fas nefasq; permiscet,
 Vnaq; pestes ceteræ diem inuadunt,
 Et clade tumidus decolorq; Vistillus,
 Albiq;, & vno haud nomine in mare irrupens
 Miratur ire Rhenus haud suos fluctus,
 Et spes in illo magna nititur pacis:
 Hæc ille, tanta mente dum sedet moles,
 Hæc ille cecinit, sicubi fatigatum
 Suis sub antris frigidaq; lucorum
 Vmbrâ virentium recreauit Euterpe,
 Seu Dorium quid, siue Barbarum mallet.

Sed ille, curas fallere, ac sibi tantum
 Intusq; gaudens canere, nil petens ultra,
 Non puncta fame, pollicesq; laudantum,
 Feliciūq; præmium libellorum,
 Imbuta cocco lora, regias chartas,
 Pictum umbilicum, luteamq; membranam,

O 4

Ara-

x Vistillus idem qui Vistula Plinio lib 4. cap. 27.

Araneoso iusserat situ turpes
 Latere, tenebris abditos inaccessis
 Tot elegantis ingeni sacros fetus.
 Heu dura patris iussa! tam legi digna,
 Tam lata cultu Musa, tot venustatum,
 Tot & iocorum non nocentium mater
 Sic delitescat inuoluta deformi
 Silentio, noctesq; carpat aeternas,
 Squalens, iners, ignota? Non tua id fuit,
 FERNANDE, pietas, indolesq; Phœbeas
 Attollere artes nata, cui, pœtarum
 Plaudente cœtu, literarios fasces
 Submittet olim Roma, quæq; nunc profers
 Debetit ordo serus eruditorum.
 Tu namque patris atque Apollinis plenus
 Suis latebris eruta sinum pandis,
 Fædaq; primùm temporum leuas tabe,
 Dein & nitorem, & gratiam, & decus formæ
 IUVENILE adauges, & frui iubes celo.
 At vos edaces, noxium genus, blatta,
 Abigenda longè læuibus lues chartis,
 Alibi repostam querite in cibum prædam;
 Seniumq; turpe pascite, aut putres libros,
 Quos rugæ, & etas, & situs fatiscantis

Capsa

Capsæ peredit, aut teredinum morsus.
Perennitatem Phæbus his licet Musis,
Triplicesq; canum spondeant Dea nomen,
 IUVENILE numquam concidet decus formæ.

AD CHOREAM,

fontem Tiburtinum, in vicinum
 Anienem influentem.

Chorea Naiadum pulcherrima, Choreæ lento
 Seu celeri graderis per caua saxa pede;
 Vortice seu placido lymphas reuoluta resorbes,
 Prouocet ut rauco gurgite murmur aues.
 Nempe tuâ captum formâ, niueisq; lacertis
 Vicinum fama est incaluisse Deum;
 Sæpius & traxisse imo suspiria corde,
 Atque auxisse suis flumina de lacrymis;
 Donec & ipsa Dei longos miserata dolores
 Aternos pacta es cærule Nympha toros.
 Siste fugam nemoris Dea, quâ propè porrigit umbras
 Quercus opaca altis ambitiosa comis.
 Nulla hic insidie, non cæco commodus hosti
 Trames, & occultâ conditus arte dolus.

Quin Satyri procùl hinc, procùl hinc agrestia Fau.

Quæ tegat intonsâ numina fronde nemus.

Illa tamen properat duro obsequiosa marito.

Sollicitat timidos heu quoque cura Deos.

In malum Poëtam, cuius versibus in-
somnem noctem traduxerat.

H *Eu malè quid merui? nam quæ me numinis ira*
Vexat, ut ex oculis exulet usque sopor?

Roscida seu redeat, solemq; Aurora reducat,

Seu praeceps alto nox ruat Oceano,

Me tamen insomnem Eoo de litore Phæbus,

Insomnem sero vespere Luna videt.

Quæ commissa luo? quo laesus crimine tantum

Sæuis? quid meritum, languide somne, fugis?

Ah vos impuri vos infestissima vatis

Carmina, vos metuit territa nempe quies.

Vos malè compactis pedibus, numerisq; solutis

Heu miseris vel adhuc auribus obstrepitis.

Phæbe pater, si ritè tuis adoleuimus aris,

Et dedimus sanctis annua tura focis:

Sic intacta sacros præcingat laurea crines,

Æternùm vireat sic tua cura nemus:

Vrantur permittite tuis mala carmina flammis.

Sic lesò cecidit victima quæque Deo.

IN

I N
DIONYSII PETAVII

obitum, & restitutam ab ipso
temporum rationem,

I Am spatij dimensa suis reuolubilis aetas
Per te ibat, numeris currere docta suis,
Immeritum cum te, PETAVI, sustulit: error
Quem tu corrigeres hic super vnus erat.

A D

AVGVSTINVM FAVORITVM,

remissis auctori pro vitreo poculo
hendecasyllabis.

A Vgustine, nouem decus Sororum,
Atque idem pater elegantiarum,
Idem flos & ocella literarum,
Qui me pro vitreo scypho impolito
Donasti hendecasyllabis politis:
Quales vel faceret meus Catullus,
Vel siquis melior fuit Catullo,
Si quisquam melior fuit Catullo.
Nam me continuo die bearunt,
Ac tot tædia pessimi dierum

Astatis

*Astatis sitientis abstulerunt,
 Quod si munera nostra deputantur
 Tanti, iam cyathos venustiores
 Queram, & pocula puriore vitro.
 Tu contra, ut semel excidère, mittes
 Puro carmina puriora vitro.*

A D

STEPHANVM ABBATEM
 GRADIVM.

CUM ALEXANDER VII. Pontifex
 Maximus renuntiatus esset.

SI mihi quæ dextro tibi numine sæpè vocantur
 Auxilio blandi carminis Aonides
 Dictarent, quod nec seris venientibus annis
 Oblito doctorum effluat ex animo;
 Nec præsens ætas, atroq; imbuta veneno
 Infelix ausit deterere inuidia,
 Supremaq; favilla, & nigri funeris expers
 Effugiat taciti temporis insidias,
 Docte GRADI, mihi quem dulces ante omnia Musæ
 Iunxere, & puro pectore culta fides,
 Et facilis vis eloquij, quæq; aurea mentem
 Formavit dictis Attica Suada suis:

Non

NATALIS RONDININI. 221

*Non sperem titulos, non laudes ire per omnes
 Maximi ALEXANDRI, aut inclyta facta virum,
 CHISIA queis stat fulta DOMVS, quos viuuda virtus
 Extulit, aut propior sideribus pietas.
 Nam cui vel tantum presens facundia, tantum
 Idem hominum dederit calicolumq; potens,
 Egregias laudes, eternaq; facta referre
 Ut queat, & meritis versibus equiparet;
 Ille etiam, qua desertas Libye inuia terras,
 Brachiaq; Europe porrigit Oceano,
 Angusto quas diuulsas absorbet hiatu,
 Et breuis Herculeo diuidit vnda freto,
 Quos male contempsit preceps audacia fines,
 Nil metuens vetitas leti aperire vias,
 Enumeret, quot vicine tundantur arena
 Fluctibus, euersas cum ciet Euris aquas;
 Aut quot vere nouo submittat Dadala flores
 Aura Cytheriacis incola litoribus.
 Quis dicat Tuscas late data iura per oras,
 Equoraq; Herculeae supposita specula?
 Aut Macereti molli surgentia cliuo
 Maenia, & antiquis addita tecta iugis?
 Heroum tellus olim fecunda, vel armis
 Vel pace egregium qui peperere decus:*

Nunc

Non

Nunc tennes ibi relliquiæ vix nomina seruant,
Lentaq; pastoris fistula cogit oues.
Inde tamen missi, qui cæli ingentia templa,
Et Diuûm cœtu limina concelebrant.
Felices turres, queis olim pauper arator,
Et saluis faciat frugibus agricola.
Ecquis opes, cœnasq; Deûm, quâ se atria tollunt
CHISIA Pompeijs amula porticibus;
Quas subterlabens miratus Tybris ab amne est,
Credita dum celeres gaza moratur aquas,
Eq; imo siluas speculatur, & aurea tecta,
Et pictos lusus, ô Galatea, tuos,
Artis opus miræ, pelago quam semifer omnis
Tritonum insequitur, Nereidumq; chorus:
Ecquis regifico constructa altaria luxu
Et ductas Libyco è marmore pyramidas,
Que sub ALEXANDRO priscum monumeta nitorem
Ceperunt, ac turpe exuerunt senium.
Tot curas inter, terrarum & publica vota
Non hæc præteriit prouida mens animi.
Quin & Niliacos moles imitata labores
Cæstia, par tumulis, barbara Memphi, tuis,
Hoc rerum domino vastis egesta ruinis
Non debet fatis tristibus interitum.

Nec

NATALIS RONDININI. 223

*Nec solum antiqui redeunt hoc Principe mores;
Antiquum sed cum moribus omne decus.*

*Sit clarus licet ille, & quæ sol aureus exit,
Et quæ se canæ Tethij restituit,*

Illius & latè referat nomenq; decusq;

Cognatas inter Naiadas Eridanus:

Eridanus, cuius cycnos hoc fama canente est

Attonitos medijs conticuissè vadis:

Quæq; viris armisq; potens sistentia contra

Insula desertæ litora stat Libyæ,

Et Mosa, & fumans ciuili sanguine Rhenus

Ingentes titulos & benefacta ferant:

Non reticenda tamen, functi æternas quibus ipsi

Heroes grates pro studijs solüunt.

Ille vel in teneris cum iam pubesceret annis,

Atque ætas primum viuida ver ageret;

Postquam animo sibi regnandum peragrauerat orbem,

Ortaq; de primis omnia seminibus,

Et propiore Deum spectaret lumine, quantum

Mortales fas est tendere contra oculos,

Multa satis lusit: norunt siluæq; lacusq;

Muscosisq; cadens Arbia pumicibus,

Quæq; viri indignum lugens Cornelia fatum

Hospitij testes numina poscit opem.

Nec

*Nec curas inter, iuuenilia carmina Musas
Dimisit fessi delicias animi.*

*Adfuerunt semper faciles ad iussa Sorores;
Et quamuis medio tenderet ille mari,*

*Alpibus & quamuis, Alpes illæ, & mare seuum
Fontibus & sacris antetulere iugis.*

*Et loca nunc culto relegebant singula versu,
Nunc fera damnabant munera militia.*

*Quin scrutaretur dirum cum viscera ferrum,
Et leti inficeret pallidus ora color;*

*Qualis Meandri ripis, aut Asia cyncus
Dum ludit pennis per vada purpureis,*

*Pectora transfixus, liquido de gutture voces
Elicit, ac gemitus litora pulsa iterant,*

*Inspectans calum, & tristes solatus amicos
Lenibat numeris vulnera flebilibus.*

*Interea trepidum versans sub corde timorem
Adstabat Diuis vota ferens Pietas:*

*Et nunc muta metu, misero nunc perdita luctu
Tendebat supplex brachia cælitibus,*

*Ne fessis olim missum succurrere rebus
Ante suum raperet mors violenta diem.*

*Sed iam pone metum Pietas: en Maximus orbem
Sospes ALEXANDER temperat imperio.*

NATALIS RONDININI. 225

AD SERENISSIMUM
GENVENSIS REIP. DUCEM
AVGVSTINVM CENTVRIONEM,

Cùm primùm noui Magistratus fasces
attolleret, summâ ingeniorum con-
tentione celebratos.

A *Vreus ut primùm nitidis emerferat undis
Lucifer, & noctem vicerat illa dies,
Quæ tibi laurigeros, virtutis præmia, fasces
Detulit, & munus vidit inisse tuum,
Et patriæ res & curas, sanctiq; Senatus
Excepisse animis publica vota tuis,
Adfuit ad plausus vasti gens humida ponti
Tyrrhenæ liquido Tethyos acta sinu;
Formosæ visu facies, Drymoq;, Thoeq;,
Et quas prætereà longâ referre mora est.
Quas inter patrio percussus numine Proteus
Hæc Latijs fertur præcinuisse modis:
Maçte animo: extulerint homines quæ maxima
quondam
Gesseris; at quæ dehinc, auguror, astra canent.
Dixerat: & plausum iussit dare protinus omnes
Quos habet vnda Deos, quas habet vnda Deas.*

P

Ego

AD

Ego dormio, & cor meum vigilat.

Nox quāuis oculorū ignes premat atra nitentes,
 Et condant somno lumina victa faces;
 Lumina quæ circum casti glomerantur Amores,
 Et Pudor, & triplici Gratia nexa choro:
 Nox tamen assiduis lacerat præcordia curis,
 Imperat atque oculis irrequieta quies:
 Nec prius obrepet, qui laxet pectora, somnus,
 Quàm sternas capiti molle cor ipse meo.

LVSVS PASTORITIVS.

DVrus Oryx torquere graui seu spicula cornu,
 Seu terrere leues per nemora alta feras:
 Quem toties succincta habili Dictynna pharetrâ
 Mirata est agiles inter Hamadryadas:
 Cùm premeret celo medium sol igneus orbem,
 Præberet lasso cùm breuis umbra torum,
 Multa inter quercus querulâ prolusit auenâ.
 Obstupuit doctos Nympha secuta modos.
 Ipsæ etiam tacitis stupuerunt Naiades undis,
 Ipsa etiam Arcadij fistula victa Dei.
 Ille etenim nunquam sacris vocalia lymphis
 Antra, Meduseos attigeratq; lacus.
 Sed quæ etiam indoctas siluæ docuere volucres,
 A siluis didicit carmina durus Oryx.

Pfy-

PSYCHE, seu fabula Papilionis.

Nympharum Psyche quâ non fuit altera totâ
 Pulcrior Arcadiâ, cui cura nec vlla fluentem
 Aut mulcere comam, aut tenues percurrere telas,
 Miles erat Phæbes, voluitq; inculta videri,
 Et placuit: nemora & sylvas nec gratior vlla
 Attigit, aut montes venatu terruit vlla.

Iamq; toros tædis ætas matura iugales
 Spondebat: fugit illa faces & nomen amantis,
 Seq; odit, votoq; dolet quòd forma repugnet:
 Cùm satus Iapeto, quem Psyche mater eodem
 Ediderat Clymene fortunatissima partu,
 Attulit inuentum cælo mortalibus ignem,
 Nec benè digestam, & certâ sine imagine massam
 In speciem eduxit moderantùm cuncta Deorum.
 Ille (fide maius) lapidem vix admouet igni,
 Paulatim letalis hiems de marmore cedit.

Vincula mollescunt genuum, saxumq; relinquit,
 Vitalesq; vias & respiramina liber
 Spiritus intus obit: vocis recluditur vsus:
 Conatus loquitur: nil trunci restat in illo.
 Miratur, tacitumq; rogat Psyche inscia fratrem,
 Vnde vigor lapidi? quæ tanta potentia flammæ?

228 POEM. NATALIS RONDININI.

Frater ad hæc contrà : Donum immortale Mineruæ
 Aspicias : ast alios Cypris tibi destinat ignes .
 Iam distingue comas, & finge decentiùs ora.
 Indoluit virgo , vetitamq̃ agnoscere flammam
 Attentat propiùs : sed enim, ceu concitus Austro
 Per stipulas flauasq̃ furit Vulcanus aristas ,
 Atque alimenta suo præbet seges arida damno:
 Sic inconcessos ubi virgo contigit ignes,
 In flammam abit, ac veluti è fornace profundâ
 Feruentes trahit ore faces , & concipit æstus.
 Vix fratri cineres , & cognoscenda supersunt
 Ipsius effigies , & quæ ferat ossa sepulcro .
 Ille sed exanimis properat , semiustaq̃ membra
 Componit tumulo , fumantiaq̃ exta sororis
 Ambrosia succis , & odoro gramine condit.
 At flamma haud oblita sui est , seruatq̃ vigorem
 Ingeniumq̃ suum , tumuloq̃ erumpit , iterq̃
 Dat volucris , varijs quæ picta coloribus alas ,
 Nunc etiam vetitos demens circumuolat ignes,
 Atque suas Psyche flammam, sua damna, frequentat.